Schonei Andr. Quaestio de Angelis

+

QVÆSTIO DE ANGELIS

Ab

ANDREA SCHONEO,
THEOLOGIÆ ET IVRIS VTRIVSQVE
Doctore, publicè in alma Academia Cracouiensi, die 2. Septembris, hora 12. ad disputandum proposita.

Pro loco inter Doctores S. Theologiæ assequendo.



CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij, Anno Domini,
M. DC. II.

In Insignia BERNARDI MACIEIOWSKI EPISCOPI CRACOVIENSIS

Andreas Schoneus.

GRatum animal VITVLVS, dominū pascitq; hilaratq;,
Et CHRISTI typus & victima sancta fuit.
Tu quoq; fers cunctis MACIEOVI gaudia, alisq;
Munificis manibus cœnobia atq; inopes.
Plaudit nunc pietas, exultant templa scholæq;
Hæresis vna gemit, se latebrisq; tegit.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO D. BERNARDO MACIEIOWSKI, EPISCOPO CRACOVIENSI, Duci Seueriensi, atq; Academiæ Cracouiensis Cancellario amplissimo, Mœcenati ac patrono singulari.

ANDREAS SCHONEVS.

LEX est Uniuersitatis nostræ, Illustrissime Antistes, ut qui in exteris Academiis, Doctoralem Sacræ Theologiæ lauream acceperunt, non prius hîc apud nos in Doctorum numerum atque ordinem adsciscantur, quàm ut Petrum Lombardum, communiter Magistrum Sententiarum appellatum, qui uniuersam Theologiam, primus ferè via & ratione tradidit, publicè prælegerint, ac deinceps eo explicato sollemnem disputationem habuerint. Quod sapienter à maioribus nostris institutum est, neque propterea, quòd aliquid de aliorum Gymnasiorum laude atque dignitate deminutum vellent, quorum & iudicia semper plurimi fecerunt, & laudi atque gloriæ fauerunt, sed ut hac ratione optimi quique & diu multumque spectati, in amplissimum eum ordinem adlegerentur, ipsique propalam explicatis ingenij & doctrinæ suæ opibus, maiorem sibi apud omnes opinionem atque autoritatem compara-

 rent

rent. Quare, cùm & mihi in Italia, omnium eruditarum artium atque disciplinarum nobilißimo emporio atque officina, Doctoratus insignia sumere contigerit, Vniuersitas nostra nullo pacto me ea lege soluere & eximere voluit, sed priùs Magistrum Sententiarum explicare, & nunc ecce hanc Quæstionem de Angelis ad disputandum proponere me oportuit. Atque fateor equidem longè sublimiores & obscuriores esse in Sacra doctrina quæstiones, quæ erudita ingenia exercere possunt, sed vt hanc de Angelis proponerem, illud me potißimùm impulit, quòd, cùm omnibus etiam Philosophis, & qui in Theologica disciplina non adeò exercitati sunt, disputandi concedatur facultas, maiorem differendi materiam habituri sint, & ne planè quasi in alieno foro versentur. Quanquam & hæc materia suos nodos & laqueos habet, & in illa viri ingenio & doctrina abundantes sudauerunt, neque omnes hoc salum placidũ & trãquillum, vt quibusdam videtur, sine periculo & saluis mercibus transmiserunt. Tibi verò amplißime vir, hunc qualemcunque conatum meum dedicare & inscribere volui. Tu enim Academiæ nostræ es Cancellarius, id est dux & antistes studiorum nostrorum, custos & defensor libertatum, & quod tibi proprium est, præmiorum literariorũ ἀγωνοθέτης, id est, in cuius manu & potestate est, has Doctorales coronas viris doctrina & ingenio excellentibus conferre atque distribuere. Deinde tu iam olim me in patrocinium tuum recepisti, meque singulari beneuolentia semper complexus es, non tam meo merito, quàm magni illius Soco-

louij

louij causa, cuius domi hæc mea studia coaluerunt, & cum quo magna necessitudo & amicitia tibi fuit, quiq; quotidianis sermonibus tuas præstantissimas virtutes prædicare solebat. Ego autem disciplina Socolouiana institutus, ita in studium & obseruãtiam tui tota mente atq; pectore incitatus sum, vt tibi potissimùm ingenium meum sudare, literulæq; meæ placere gestiant, atq; omne meum mihi mutum esse videatur, quod tu non audis, ac quasi oleum & operam perdere existimem, si te non mearum contentionum testem, iudicem atque fautorem habeam. Accipe igitur Mæcenas amplissime, hanc disputationem grato animo, & Schoneum iam olim tuum, ama, orna & tuere. Vale viueq; diu felix, Ecclesiæ Dei, Reipublicæ, omnibusq; bonis. Cracouiæ ex Collegio maiori, ipso die S. Bernardi.

Quæſtio
DE ANGELIS.

Ab

ANDREA SCHONEO, THEOLOGIÆ & I. V. Doctore, in Academia Cracouienſi publicè pro loco inter Doctores Theologiæ aſſequendo, ad diſputandum, die 2. Septembris propoſita.

V. Angeli, qui ſunt ſubſtantiæ intellectuales, ſimplices, incorporeæ, incorruptibiles, & à Deo in gratia conditæ, intelligant omnia per ſpecies naturaliter inditas, an verò per ſpecies acquiſitas & à rebus acceptas.

CONCLVSIO I.

Angeli ſunt ſubſtantiæ intellectuales & ſimplices.

COROLLARIA.

1. *Angelos eſſe ex fide certum eſt, tamen ratione naturali*

turali id euidenter demonstrari nequit.

2. *Angeli non sunt creati ante mundum corporeum, sed simul cum cœlis & elementis.*

3. *Angeli sunt perfectiùs ad imaginem DEI creati, quàm homines, & ideò naturæ sunt præstantioris.*

4. *Angeli non sunt actus puri, sed sunt compositi metaphysicè ex genere & differentia, natura & supposito, esse & essentia, subiecto & accidentibus.*

5. *Ordo Hierarchicus Angelorum non ex visione beatifica, neq; ex cognitione naturali, sed ex cognitione supernaturali, quæ fit extra verbum, formaliter sumitur.*

CONCLVSIO II.

Angeli sunt substantiæ incorporeæ & incorruptibiles.

COROLLARIA.

1. *Angeli verè assumunt corpora, ex àere potissimùm formata, sed in iis operationes vitales non exercent.*

2. *Ab Angelis immediatè formata & assumpta sunt corpora, in quibus legitur Deus apparuisse.*

3. *Angeli sunt entia necessaria & ab intrinseco immutabilia.*

4. *Angeli neq; per creationem, neque per eductionem formæ de materia, possunt producere substantiam.*

5. *Angelus potest mouere omne corpus ad omnem differentiam loci, non tamen ordinem vniuersi perturbare.*

CONCLVSIO III.

Angeli omnes habuerunt aliquando gratiam, & habuerunt illam primo instanti suæ creationis.

COROLLARIA.

1. *Gratiam quam acceperunt Angeli primo momento suæ creationis, acceperunt illam per propriam dispositionem actualem.*

2. *Angeli boni, propriis meritis antecedentibus, consecuti sunt beatitudinem supernaturalem.*

3. *Angeli primo instanti suæ creationis peccare potuerunt.*

4. *Peccatum primum Luciferi, qui fuit supremus inter omnes Angelos, non fuit solùm ex inaduertentia & incogitantia.*

5. *Angeli beati non possunt proficere in beatitudine, neque peccare, sicut nec mali per pœnitentiam, à peccatis & pœnis æternis liberari.*

CON-

CONCLVSIO IIII.

Angeli cognoſcunt Deum & ſeipſos, per ſuam ſubſtantiam.

COROLLARIA.

1. *Angeli non cognoſcunt Deum naturaliter, clarè & quidditatiuè.*

2. *Angeli cognoſcunt etiam Deum per ſpecies intelligibiles, quas habent inditas, omnium effectuum creatorum.*

3. *Angeli perfectiùs cognoſcunt Deum per ſpecies ſuperiorum Angelorum, quàm per ſuam ſubſtantiam.*

4. *Angeli non cognoſcunt naturaliter myſteria gratiæ, quæ ſunt ſupernaturalia per ſe & ſecundum ſuam ſubſtantiam.*

5. *Angeli omnes cognouerunt à principio per fidem, myſterium Incarnationis, quo ad ſubſtantiam & in communi, non autem plenè, & quo ad modum & circumſtantias.*

CON-

CONCLVSIO V.

Angeli cognoſcunt alia omnia per ſpecies cum natura congenitas, non verò acquiſitas.

COROLLARIA.

1. *In Angelis non eſt intellectus agens.*

2. *In Angelis eſt alia cognitio matutina, alia veſpertina.*

3. *Angeli ſuperiores cognoſcunt per ſpecies magis vniuerſales & pauciores.*

4. *Angeli inter ſe loquuntur, non per ſigna aut nutus, ſed per ordinationem voluntariam proprij conceptus ad alterum.*

5. *Angeli ſuperiores illuminant inferiores de omnibus quæ ſciunt, & quæ pertinent ad ſtatum naturæ, gratiæ & gloriæ.*

Hæc Quæſtio cum ſuis Concluſionibus & Corollariis diſputabitur in Lectorio DD. Theologorum Academiæ Cracouienſis, die 2. Septembris, hora 12.



